

trem ejus disruptum, et verminum per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur, crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, et revelatum erat narium fundamentum. Et intuens matrem christianissimam, dixi: Ubinam est Cæsaris corpus præclarum, ubi magnitudo divitiarum, ubi apparatus deliciarum, ubi multitudo dominorum, ubi caterva baronum, ubi acies militum, ubi canes venatici, ubi equi veloces, ubi aves cantantes, vel thalamus pictus, ubi lectus eburneus, ubi torus regalis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria vestimentorum, ubi capilli solares, ubi facies decora, ubi omnia quæ sub cælo sunt? Te namque verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Ubinam, quæso, sunt hæc omnia, a quo recessit tanta jactantia? Quo ivit tua magnificentia? Et respondit mater pietate plena: Fili, omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus et dereliquerunt eum captivatum in sepulcro trium brachiorum, plenum fœtore et putredine. Eia ergo, fideles Christi, considerate quid jam sumus: » et paulo ante: « Euntes vos, o juvenes et potentes, ad sepulera patrum vestrorum, considerate quid fuerunt et quid sunt. Monumenta aperiatis eorum, et videamus quis dominus et quis servus, quis pulcher, quis rectus, quis curvus inter eos fuerit. Aperiatis oculos corporis et mentis, et nostram grandem miseriam frequenter non pigeat considerare. Intremus sepulcra, et quid inveniemus vel quæ? Nam si respexerimus, inveniemus mortuorum capita, renes et ventrem. Verum et indubitanter verum, mihi experto credite, quia in capitibus invenietis bufones saltantes generatos ex cerebro: in renibus serpentes generatos in lumbis ambulantes: in ventre vermes scaturientes generatos ex visceribus. Ecce quid sumus et quid jam erimus, ecce in quod resolvimur. » Bene igitur Gregorius Nyssenus, orat. II. de beatit. monet adeunda crebra cœmeteria, velut officinam modestiæ et humilitatis.

IV. Vide et discite quanta ibi sit pax et concordia inter omnes sepultos, etiam eos qui prius dum viverent, inter se capitales inimicitias gerebant, nec in una domo, minus in eadem mensa se mutuo tolerabant. Ibi namque in eodem cœmeterio, in eodem tumulo, in eodem ossuario, summa pace omnes cohærent. Quis hoc efficere potuisset, dum illi in vivis essent? Mors id effecit. Hinc Senec. lib. III. de ira, cap. XLIII. *Quid servo, inquit, quid domino, quid regi, quid clienti tuo irascaris? Sustine paulum. Venit ecce*

*mors, quæ nos parēs faciat.* Anno 1609. baronis Warthulis Angli filius natus major in lusu Joannem Stuardum, Angliæ regis cognatum, mendacii redarguit, ideoque a Stuardo colaphum accepit. Inde ad duellum propè Londinum egressi ambo se mutuis vulneribus confoderunt: postea jussu regis in eodem sepulcro humati sunt. Refert Emmanuel, de Metter. l. XXIX. hist. Belg. En qui ob unam alapam et unam contumeliam simul stare in vasto Angliæ regno non potuerunt; postea in angusto uno tumulo summa tranquillitate persistunt usque ad diem judicii. Idem contigit Alberto Austriaco et Adolpho Nassauvio, dimicantibus pro imperio, postea Basiliæ sepultis in eodem loco, vix palmo inter se distantibus, ut dixi alibi ex Gerardo de Roo, l. II. hist. Austr. Apum examina quandoque inter se integra contendunt, sed injectu pulveris dirimuntur, teste Virgilio, in Georg. Duo dimicasse visa sunt illarum examina in oppido Plure, Vallis Telinæ, paulo ante urbis oppressionem, anno 1618. quæ ubi utrinque mortuæ conciderunt, una cum oppido, montis ruina oppressa sunt. Sic profecto qui in vita nullis artibus permoveri possunt, ut, deposito mutuo odio, pacem amplectantur, tandem in sepulcro, cum ejus pulvis terræ injicietur, convenire inter se incipient. De quo intelligere possumus, quod Ps. XLVIII. dicitur: *Sicut oves in inferno* (in sepulcro intelligunt Hebræi) *positi sunt: mors depascet eos, vel ut legit August. mors pastor est iis.* Jacent ergo defuncti velut oves in cœmeterio, sub pastore morte, qui in ovili Ecclesiæ sub pastore Christo convenire noluerunt; atque utinam non jaceant simul in inferno inferiori.

V. Vide et discite quidnam sit caro illa, quam adeo hic amant, et ad insaniam usque depereunt miseri mortales: vide cadavera, vide nudata et vermibus exesa ossa, vide capillos calvariis detractos. Hæccine est illa Jezabel, quæ paulo ante tam formosa se ornavit et stibio depinxit? Nihilne ex tanta pulchritudine reliquum præter hæc ossa? Ubi frons, oculi, genæ? Ubi potentia et majestas regia? Hæc cogita et vide, num hæc ossa possit amare? « Nihil enim, ait S. Greg. XXVI. mor. c. XXIX. sic ad edomandum desiderium carnalium appetituum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. » Confirmat hoc B. Pet. Dam. ep. XXVI. l. VI. epist. hac narratione: « Novi fratrem in Christo, inquit, qui distractam hanc mentis suæ regulam jugi ac pervigili servat intuitu, ut quotiescumque libidinis suggestio subrepat, mox cogitationi suæ velut expeditus ad proficiscendum dicat: Eamus, inquit, ad cir-

cum: illico omnia cœmeteria ac sepulturas imaginando perlustrans, putrescentium virus famemque cadaverum, scatentes quoque vermes et fœtentium jus carniarum curioso rimatur intuitu: cumque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate florentes his subjacere molestiis, corpus etiam suum paulo post futurum non ambigit, quod illas esse jam cernit. » Retractus a libidine, ad quam explendam jam pergebat, Elias eremicola est, dum in via absorptus, quasi ab hiatu terræ vidit in sepulcris corpora mortuorum putrida et fœtentia, auditque a reverenda specie viri: *Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri: fruiere jam ut vis.* Qui præ nimio fœtore et horrore corruit; post erectus et correctus rediit in cellam suam, pratum spirit. XIX. Ignis incendium terræ injectu facile sopitur, et facilius quam aqua: in Milesia quoque herba est, teste Solino, c. XXXII. quæ accensa ardet, nec aliter extinguitur quam injecto pulvere. Ergo qui hujusmodi ardorem sentit, eat ad cœmeterium, et injiciat sibi pulverem (saltem cogitatione) quem cernit in sepulcris, ita sopiet ignem.

VI. Denique, in hoc agro vide nostram sementem et spem messis nostræ, non tam sepultam, quam depositam. Hic est enim ager ille sanguinis Christi in sepulturam peregrinorum. Ager, inquam, figuli illius cœlestis, qui e luto finxit nos, et per mortem frangit atque dissipat: denique, in die resurrectionis iterum refingit, et: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, uti in domo figuli per figuram ostendit Jeremiæ, c. XVIII.* In hoc agro corpus: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, I. Corinth. XV.* Quare, uti semine sparsus ager spes est agricolarum; ita cœmeterium spes est Christianorum. Spes dixi, nondum res: quia sicut timet agricola, interim dum sperat, ne in agro fruges pereant; ita jure merito timemus etiam nos resurrectionis nostræ messi, ne spem nostram fallat, quia scriptum est: *Spes impij tanquam lanugo* (uti est flos sicei cardui) *quæ a vento tollitur, Sap. V.*

Multa ex agro semina devorantur a volucribus, ut docet parabola evangelica, Matth. XIII. Multa etiam corpora sepulcorum in cœmeterio diripiuntur in die judicii a stygiis illis corvis. Multæ in agris fruges in grandine feriuntur, et multi sepulcorum in agro illo sancto percutiuntur fulmine judicis. Quid igitur agendum ut spes nostra in agro hoc irrita non fiat? Utique

tales nos esse oportet, quales sepeliri Christus voluit in agro suo Haceldama, empto in sepulturam peregrinorum. Peregrini igitur simus in hoc mundo, quales expetit Sanctus Petrus, epist. I. c. II. cum ait: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Si vivamus in hoc mundo sicut peregrini in alieno solo, tunc messis nostra in salvo erit; non est quod timeamus metuendam illam diem. Sane Artemidorus, oneirocrit. lib. V. c. XLVI. asserit terræ motum omnibus injuriam denotare, præterquam peregrinis. Pari ratione dies illa terræ motus peregrinis nil nocebit: aliis vero omnibus, qui terræ hujus cives et amatores fuerint, afferet interitum

## CONCIO V.

OMNIBUS, ETIAM JUSTIS, IN TIMORE DOMINI SEMPER VIVENDUM: STIMULI AD HOC.

I. Incertitudo salutis nostræ. — II. Scandala et laquei passim obvii. — III. Dei oculus omnia nostra inspiciens. — IV. Dei judicis potentia, sapientia, justitia. — V. Ultimus cum morte conflictus.

## THEMA.

*Accepit autem omnes timor. Luc. VII.*

Exploraturus Gedeo quinam e suo populo apti ad militiam, qui inepti forent, duxit eum Dei monitu ad fontem Harad aquarum; ubi ex diverso bibentium modo non difficile intellexit, qui idonei ad prælium, qui inidonei essent, Jud. VII. Pari prorsus judicio possumus deprehendere quinam apti ad regnum cœlorum, quinam inepti sint: et quidem ad fontem Harad, h. e. *metus et pavoris* (id sonat Harad, ut observat Bened. Arias, Judic. VII.) Qui enim in timore Dei degunt, aptos se ad cœli regnum; qui sine timore, ineptos ostendunt. Testem adhibeo Sapientem, Prov. XIV. ubi ait: *Sapienter timet et declinat a malo: stultus transilit et confidit.* In quem locum ven. Beda: « Sicut stulti, inquit, est de sua alacritate confidere, torrentem rapidum vel voraginem latiore saltu velle transilire; sapientis autem ad planum vel pontem divertere: qui peccatum, quantum valet, declinat, timens ne involvatur malis, sapiens est; stultus autem ille, qui contemptim peccat, blandiens sibi. » Porro ut salutaris ille timor nobis ingeneretur, adeoque in numero sapientum et electorum nos constituat, prægnantes ejus timoris stimulos aliquot videamus et nobis injiciamus.

I. Primus, est incertitudo salutis nostræ. Nesci-

mus enim in primis, utrum in Dei gratia sumus, atque ut hoc sciremus, ignoramus præterea utrum in ea perseveraturi simus. Ita enim monet apostolus, I. Cor. X. *Qui stat, videat ne cadat*: et ad Phil. II. *Cum timore et tremore salutem vestram operamini*: similiter Joannes, ep. II. *Videte ne perdatis quæ operati estis*: et Apocal. III. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Quæ sane non vulgarem nobis incutere metum debent, cum nunc dependeat salus nostra, vel perditio æterna corporis et animæ. Navigantes semper in metu sunt, quamdiu sunt in mari, tametsi vitam et fortunas suas solum temporales perdere possint: quanto magis timemus nos, qui dum vivimus, de æterna salute periclitamur? Quare: « Sicut mercatores inter navigandum, inquit S. Macar. senior, homil. XLIII. etsi ventum propitium et mare tranquillum nacti sint, needum ad portum pervenerint, metuunt ne quomodo repente contrario vento excitato æstuet mare et navis periclitetur: sic et Christiani, licet habeant in se prosperum ventum S. Spiritus, adhuc tamen formidant ne ventus adversariæ potestatis insurgat, qui flet, et tempestatem fluctusque moveat animis eorum. » S. Chrys. hom. VIII. in ep. ad Phil. expendens id apost. ad Phil. II. *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*, ait: « Artifex, etiamsi peritus sit et valde artificiosus, cum timore tamen et tremore stat metuens, ne ab ædificio decidat; et tu credidisti, multa bona parasti, in sublime ascendisti, caute teipsum continebis, et cum timore stabis, oculumque vigilantem habebis, ne inde decidas. Sunt enim multæ nequitie spirituales, quæ te dejicere conantur. » Non fuit in populo Hebræorum dignior imperio, quam Saul; et tamen ille e Dei amicitia lapsus et reprobatus est. Non erat vir ita secundum cor Dei, uti erat David; et tamen ille Dei gratia excidit, non uno, sed duplici lapsu, tametsi in gratiam postliminio rediit. Non erat sapientior quisquam Salomone; et tamen et ipse ad extremum dementatus et gravissime lapsus est: incertum, an resipuerit. Ecce inter tres primos Hebræorum reges, primus initio regni, secundus in medio, tertius in fine gratia Dei excidit, cum prius essent omnes dilecti a Deo, et virtutibus excellentes. Quis ergo sibi non metuat? Unde S. Hieron. ep. ad Salviam scribit: « Si David amicus Domini, et Salomon amabilis ejus, victi sunt quasi homines, ut et ruinæ nobis ad cautionem, et pœnitentiæ ad salutem exempla præberent; quis in lubrica via lapsum non metuat? » Quinimo quo virtuosior quis est, eo magis habet quod timeat. Ita enim S. Greg. M. I. VI. moral. c. XXIV. « An-

chora cordis, inquit, est pondus timoris; et sicut majoribus et ditioribus navibus major anchora opus est; ita quo justior homo, majore timore eget. » Hinc bene de Simeone dixit S. Luc. cap. II. « Simeon justus et timoratus. » Quia enim justus erat, anchoram timoris annexam habere justitiæ suæ debuit. Unde Galfridus in eum locum: « Ne mireris, inquit, si timuerit justus, et in quo Spiritus s. erat. Non enim erat vacuus coram latrone viator; et quomodo non timeret? Thesaurum habebat magnum in vase fictili, et timoratum fuisse miraris? Tua credo securitas aut de inopia, aut de ignorantia est. Aut deest quod possit auferri; aut deesse jam putas qui possit auferre. Time igitur vel ob hoc ipsum, quod te invenit non timentem. » Sic ille.

II. Secundus, est scandala et laquei passim undique tensi, quos inter ambulare et non capi difficillimum est. Audimus certe Isaiam nobis occurrentem, c. XXIV. *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit, qui fugerit a facie formidinis, cadat in foveam; et qui se expli-caverit de fovea, tenebitur laqueo*, q. d. sicut feræ in silvis a venatoribus, ita homines in hoc mundo agitantur et capiuntur a dæmonibus. Si feræ terriculamentum (funiculum pennis volubilibus instructum) fugiant, cadunt in foveas; inde si emergant, incidunt, incurrunt in canes, inde in sclopetarios: sic fere contingit hominibus; dum fugiunt laqueum unum, incidunt in alium. Quæris solitudinem? Incurris desolationem. Fugis solitudinem? Incidis in perversos socios. Fugis istos? Pateris obtrectatores. Triumphas de istis? Invadet te vana gloria, ut advertit S. Leo, serm. VIII. de epiph. « Hæc, inquit, sanctis causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, et remaneant in infirmitate naturæ. » Omnes hos laqueos vidit S. Cyprianus, l. de mortal. « Quid aliud, inquit, in mundo, quam pugna adversus diabolium quotidie geritur? Quam adversus jacula ejus, et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio est: obsessa mens hominis, et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat. » Notum est S. Antonio ostensum a Deo mundum laqueis plenum undique usque ad cælos, ita ut exclamaret: *Domine, quis evadat laqueos istos?* Qua etiam de re audiamus Euseb. Emiss. hom. IV.

ad monach. « Nemo, inquit, de præteritis securus sit. Tanti laquei objecti sunt ante pedes animæ nostræ, jam innumeri hostes observant et custodiunt iter nostrum, tantæ foveæ et tanta prærupta, tantæ rerum difficultates interjacent inter nos et finem nostrum: via ipsa, quæ per se ardua et arcta est, tantis spiritualium latronum insidiis obsidetur, tantos nos scopulos tantosque fluctus transire necesse est, et videre, antequam anchoram optato in littore colloceamus; et putamus nos de præteritis esse securos, et sine quotidiana cura, et sine quotidiano timore et tremore diem nostrum transigere debere? Quis transiens super alicujus profunda fluminis per arctissimi pontis angustias, etiamsi majorem partem inoffenso transmisserit pede, jam periculum evasisse se credat, cum in ultimo pontis spatio si paululum titubaverit, casum, quem in medio spatio timebat, incurrit? Sic nos, etiamsi magna pars vitæ istius prospere videatur fuisse transacta, non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie positus ante finem certaminis, aut ante victoriæ sententiam arma deponat? Itaque continuo in acie nobis standum, nec arma deponenda sunt, quia uno debellato hoste, succedit alius, hoc subacto, tertius: quod nuntiavit regi Syriæ Benadad ad Achab rex Israel verbis illis: *Ne gloriaretur accinctus æque ac discinetus*, III. Reg. XX. Ubi glossa ordinaria ait: *Providendum est servis Dei, ne secundum exemplum Achab perniciose servitute sibi blandiantur, quamdiu hostis vivit; ne dum se quasi victores arbitrantur, per fraudem diaboli, pacem promittentis, citius elidantur.*

III. Tertius, est Dei oculus, omnia nostra quæ agitamus inspectans et observans. Hunc proponit nobis S. Chrys. qui hom. VIII. in ep. ad Philip. ita scribit: « Quomodo comparabitur iste timor? Si cogitaverimus Deum ubique præsentem esse, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde sunt, et in profundo animi. Dic mihi: Si tibi semper proxime principi standum esset, non cum timore adstares? Quando comedis, cogita præsentem esse Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando rapis, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum; et nunquam in risum incidēs, nunquam ad iram accenderis. Si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris ac tremore, tamquam si prope regem adstes. » Audimus igitur ex Chrysostomo, adstandum nobis semper esse in conspectu Dei; sed et hinc exoritur causa formidandi. Audimus enim Isa. LVIII. reprehendi eos, qui: *Appropinquare Deo volunt*. Sunt autem illi, qui de Dei bo-

nitatem nimium præsumunt: sicut e contra nimium a Deo se elongant, qui ejus bonitati stulti diffidunt. Scite Alexander Magnus interrogatus, quomodo ad principem accedendum esset, respondit: *Tamquam ad ignem, ut neque ad eum nimis prope accedas, ne comburaris; neque procul nimis abscedas, ne frigescas*. Refert Jansenius, apud Octav. de Tufo, in. c. XIII. Eccles. ̄ XIII. Pari ratione videtur etiam ad Deum nec prope nimis accedendum, nec procul abscedendum. Si de ejus clementia nimium præfidamus, certe nos comburemus: si diffidamus, gratiæ ejus calore destituemur, et frigebimus. De nimia cum principe familiaritate ait Eccl. c. IX. *Si accesseris ad illum, noli aliquid committere* (Græce *delinquere*) *ne auferat vitam tuam. Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris*. Quem locum explicat S. August. in Psal. CXLI. « Ignoras, inquit, quia in medio laqueorum ingredieris? ait Scriptura. Quid est in medio laqueorum? In via Christi. Et hinc laquei, et hinc laquei; laquei a dextris, et laquei a sinistris: laquei a dextris, prosperitas sæculi; laquei a sinistris, adversitas sæculi: laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris terrores. Tu in media laqueorum ingredere, a via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat. » Ut ergo periculum est in prosperis, periculum et in adversis; ita periculosum est de Deo nimium sibi promittere, et nimium diffidere. Quid igitur factu opus? Medium tenendum: ex parte bene in Deo sperandum, ex parte non parum timendum; id quod in duobus Samsonis parentibus mire expressum est, cum pater quidem, angelo conspecto, sibi metuens diceret: *Morte moriemur, quia vidimus Deum*; mater vero confidens responderet: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset*, Jud. XII. « Quid est, inquit D. Greg. VI. mor. c. XXIII. quod ad visionem angeli vir est timidus, mulier audax; nisi quod quando cælestia nobis monstrantur, spiritus quidem pavore se concutit, sed tamen spes præsumit? » Jam vero et hinc exurgit timor, quia nescimus utrum hoc constanter teneamus.

IV. Quartus, Dei judicis nostri invincibilis potentia, infallibilis sapientia, inviolabilis justitia. *Quis vero non timeat judicem potentissimum, sapientissimum et justissimum?* inquit S. Innoc. III. l. III. de contempt. mund. c. XV. *Quis resistet potentissimo? Quis eludet sapientissimum, quis pervertet justissimum?* Ipse in primis nemini delinquenti parcat, qui non pepereit angelis prævaricantibus, nec servis suis integerrimis, Moysi et Aaroni; quos, vel ob unum non admoddum grave delictum, morti adjudicaverit. Deinde,

propter unius peccatum totam sæpe posteritatem punit, uti sobolem Adami universam ob peccatum parentum; alios sæpe usque ad quartam generationem; Judæorum gentem ob peccatum parentum, qui Christum occiderunt, usque ad finem mundi. Unde ait Exod. XX. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Tertio, propter unum lethale peccatum punit in æternum, et quidem duplici pœna privationis summi boni, et dejectionis in ignem inextinguibilem. Quarto, venialia etiam peccata punit igne purgatorii acerbissimo; et sæpe in hac vita morte violenta, ut patet in uxore Loth, (Iza, propheta seducto, aliisque. S. Hieron. in ep. XXII. ad Eustoch. fatetur se, ob nimium Ciceronianæ lectionis studium, dire in somnio jussu Christi flagellatum: S. Catharina Sennensis, ob levem in oratione distractionem, tam acriter a Christo reprehensa fuit, ut diceret, malle se coram toto mundo confundi, quam similem confusionem sustinere. Hinc sancti quique constanter timuerunt Deum vel levissime offendere, uti S. Job, qui c. IX. ait: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* S. Hilarion moriens timebat Dei tribunal post vitam austere tamque innocenter actam per septuaginta fere annos: S. Agathon moriens, sibi et operibus suis metuebat: *Quia alia judicia Dei, alia hominum,* dicebat. Ratio est, quia nos non videmus fundum cordis nostri, et nescimus an in eo vitium aliquod nobis occultum lateat, quo Deo displiceamus; an opera nostra, quæ reputamus bona, vitientur ex aliquo capite: *Judicia autem Dei abyssus multa,* unde fieri potest, ut gratiam suam ob levia etiam peccata sensim nobis subtrahat, nosque infirmitati nostræ relinquat. Hinc justis omnibus timendi causa existit, ob quam S. Augustin. de sancta matre sua Monica, postquam ejus virtutes dilaudasset, ait: *Væ etiam laudabili vitæ hominum si, remota misericordia, discutias eam,* l. IX. confess. c. XIII. Quod Augustini dictum citans S. Gregor. l. XXIX. moral. c. IX. ait: *Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, cum in otio torpemus. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicemur, quia districtè discussa ante oculos judicis, unde se maxime placere suspicatur, obruitur.* Hinc illud David, Psal. CXLII. *Non intres in iudicio cum servo tuo.*

V. Quintus et ultimus, conflictus quem cum morte aliquando, et forsitan brevi, inire cogemur. Qui navi vectus prævidet locum alicubi periculosum sibi transeundum, v. g. euripum in Danubio, vel Scyllam et Charybdim in Siculo mari,

toto prævio tempore timet, et subinde interrogat: Quando deveniemus ad suspectum illum transitum? Quantum abhinc abest? O si illum superassemus, etc.! Eodem in timorè continuo versantur, qui velut capitis rei in carceribus detinentur. Quantumvis enim in illo commode habeantur et laute tractentur, timorem tamen pellere nequeunt, dum supplicii sui diem præ oculis semper habent. Non ita pridem unus e captivis civitatis nostræ, morti adjudicatus, cum a patre quodam nostro admoneretur, ne audito funesto mortis nuntio pusillanimis fieret, respondit ille, se pro tempore satis cordatum esse, solum metuere ultimæ horæ suæ, qua supplicio afficiendus esset. Crediderim hoc equidem: sed hæc ipsa hora est, quæ formidine replevit totum illud tempus, quo in vinculis tenebatur. Ecce vero non et alii omnes salutari mortis timore totam vitam suam condiant, cum sciant statutum esse omnibus hominibus semel mori, et post hoc iudicium? Ad Hebr. IX. Quid enim refert utrum ex carcere, an ex domo nostra ad iudicium extrahamur? Et si sancti etiam viri horam illam transitus sui semper timuerunt, peccatores non timebunt? Ven. ille abbas Elias dicere solebat: « Ego tres res timeo: Unam quando anima mea egressura est de corpore: aliam, quando occursurus sum Deo: tertiam, quando adversum me proferenda est sententia, » apud Rosw. in vit. pp. l. V. libello III. S. Hieron. qui timore gehennæ seipsum in asperum solitudinis carcerem condemnarat, scribit de se in ep. V. ad Florentium: « Ego diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem, quoad mihi dicatur: Hieronyme, veni foras. » B. Arsenius moriens interrogatus, cur post vitam innocentissimam centum viginti ann. peractam metueret imminente morte, respondet: *Revera hic metus, quo me videtis affici, nunquam a me recessit ex quo factus sum monachus,* Metaph. in vita. De quo et sanctæ memoriæ Theop. archiep. cum moriturus esset, dixit: « Beatus es, abba Arseni, quia semper hanc horam ob oculos habuisti, » apud Rosw. loco cit. Et quid mirum? Horruit asina Balaami, cum vidisset in angustiis duarum maceriarum angelum, stantem evaginato gladio, et vertit se ab itinere, Num. XXII. quid mirum si homo, rationale animal, constitutus in angustiis hujus et alterius vitæ, timeat prævidens angelum, seu custodem. seu Michaelem, stricto ad iudicium gladio, sese expectantem, sive ad salutem, sive ad perditionem? Hinc S. Augustinus vir tam integer et sanctus licet, in lib. medit. c. XXXIX. ultimum illum conflictum præcogitans: « Væ mihi misero, inquit, cum

renerit dies iudicii, et aperti fuerint libri conscientiarum, cum dicetur de me: Ecce homo et opera ejus. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cæli revelabunt iniquitatem meam, et adversum me terra consurget? Ecce nihil

respondere potero, sed demisso capite præ confusionem, coram te stabo trepidus et confusus. Remedium huic pavori, si volumus, semper paveamus. Ita enim Sapiens, Prov. XVIII. ait: *Beatus homo qui semper est pavidus.*